



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

x [i.e. ix]. Nec eærum veritas physica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

litas passiva operationum intellectus, sive operationes intellectus ut capaces dirigi sive ut possibiles fieri rectæ, cum hæc dirigibilitas, seu capacitas & non repugnantia ad suscipiendam directionem Logicam non sit ratio illa, quæ præcipuè consideratur à Logica in operationibus, nec sit forma, quæ inducitur in illas, sed potius ratio formalis *sub qua* sive conditio, sine qua operationes non essent objectum Logices saltem practicæ, de qua ratione formali, *sub qua* loquitur Arist. dum dicit; objectum habitus practici esse rem operabilem ut operabilem: & licet per hanc objecti sui operabilitatem habitus aliquis practicus ab aliis scientiis specularivis distinguatur, per eam non distinguitur tamen etiam à practicis. Unde etsi assignandum sit Logicæ objectum, quod est praxis, assignanda non est tamen in hoc objecto materiali pro ratione formali sive objecto formali terminativo ipsa ratio operabilitatis, sed alia, per quam adæquatè ab aliis scientiis etiam practicis distinguatur.

IX. Qualis ratio in operationibus intellectus à Logica spectata etiam non est earum physica veritas, seu conformitas earum cum
 obje-

objectis; hanc enim virtus intellectualis, qualis est Logica, non intendit nisi in actibus suis immediatis, neque instrumentum aliarum scientiarum improprie tale (quamvis non examinemus hic objectum Logices quatenus instrumenti, sed quatenus per se scientiæ) statim primario eundem cum illis finem, nempe veritatem intendit, quæ veritas si quandoque sequatur ex rectitudine logica sive conformitate actus cum regulis Logices (qualis esse potest actus absque eo, quod verus sit physicè) Logicæ est per accidens, & ad summum ab ea intentum secundario, veluti finis extrinsecus, quæ per se intendit rectitudinem logicam utilem, non ut utile, ad veritatem investigandam. Unde hæc ipsa artificiosa actuum intellectus rectitudo seu conformitas eorundem cum regulis Logices, quatenus respicit activam harum regularum directionem (operationes enim casu factæ rectæ & conformes regulis esse non possunt objectum Logices, saltem quoad primum produci, cum circa illas nullus actus Logicus eas dirigens, ut bene fierent, versatus fuerit) est objectum Logices formale. Inducitur autem hæc rectitudo à directione

ctione regularum in operationes non ut jam rectas vel incorrectas, neque in existentes sine rectitudine & incorrectitudine à parte rei, sed in præscindentes juxta nostrum concipiendi modum ab utraque; & plus Logica non præstat per suam directionem, quàm ut prodeat operatio in entitate sua recta, cujus loco proditura fortè fuisset in entitate sua incorrecta. Hinc facile inferes incorrectitudinem non esse objectum formale præceptorum logicorum negativorum, sed rectitudinem, propter quam talia præcepta vetant incorrectitudinem, & quam procurare intendunt vitatis vitiis & incorrectitudine.

X Logica circa hoc objectum suum versatur practicè. Ad cognitionem enim practicam requiritur: Primò, ut sit notitia repræsentans rem operabilem ut operabilem (quia poterit cognitio repræsentare rem, quæ operabilis est V. G. domum ut ens est, vel rem considerare positivè ut jam factam & tamen non esse practica. Secundò ut repræsentet rem operabilem ab ipso habente hanc notitiã, quia si repræsentet rem ab altero operabilem V. G. motum cælorum ab Angelo, quæ impossibilis sit ipsi habenti hanc notitiam,